

modum, uidelicet: quia dicimus, sentenciamus, pronunciamus et condemnamus predictum ser Petrum de Auanço ad assignandum eidem Bartolo dictum suum nauigium, ita bonum sicut erat tempore dicte sequestracionis vel ad dandum, soluendum et numerandum eidem Bartolo de Sloradis, pro emendacione et damno dicti sui nauigii sequestrati, per dictum ser Petrum indebite et iniuste, ducatos centum quadraginta auri boni et iusti ponderis, iurante tamen dicto Bartolo, ad sancta Dei Euangelia super sanctis reliquiis, dictum suum nauigium tunc temporis esse ualoris dictorum centum XL ducatorum auri, secundum consuetudines Jadre; et sicut iurauerit, et de quanto minus iurauerit dictum suum nauigium tunc temporis dicte sequestracionis ualere, sic et de tanto hec presens nostra sententia exequatur, reseruatis tamen eidem ser Petro omnibus suis iuribus que habet, habuit uel habere posset contra dictum Bartolum uigore dicti sui instrumenti superius nominati, ac omnibus aliis iuribus que modo quocumque aduersus dictum Bartolum ex nunc habet uel habere posset, uictumque uictori in expensis legiptimis condemnamus, dantes in pristaldum ad hanc nostram sententiam execucioni mandandam nobilem uirum ser Simonem de Rasolis tribunum curie Jadre. Presentibus testibus superscriptis.

Die XVIII february. Ser Girardinus de Carnaruto, procurator supradicti ser Petri, se apelauit a dicta sententia ad colegium quod comune Jadre duxerit eligendum, secundum consuetudines Jadre.

(*In margine*): M^oCCCCVI, die V mensis octubris, cassa fuit presens sententia, et hoc uigore unius sentencie arbitrarie, late et date per ser Andream quondam Nicolai de Grisogonis, ser Andream de Cesamis et ser Thomasium de Petriço, scripte manu mei Johannis de Trottis Guarnerii de Alexandria palearum, notarii iurati Jadre, in M^oCCCCVII, indicione XV, die secundo octubris, presentibus ser Theodoro de Prandino, notario iurato Jadre, et Jacobo Salamono, mercario, testibus etc., ac secundum rellationem ser Zannini de Galelis tribuni Jadre michi factam de mandato dominorum rectorum Jadre.

Archivio di Stato, Zara. Sezione notarile. Curia consulum et maris. Notaio Giovanni de Trottis, sentenze fasc. 5, carte 17 t. e 18 r.

5

1406, 21 giugno.

Luca, marinaio di Zara e padrone aposticio di un naviglio di Martino fu Domenico da Recanati, abitante di Zara, viene assolto dalla petizione del detto Martino di consegnargli in Ancona una certa quantità di sale caricata a Pago.

Eisdem millesimo, indicione et die (1406, 21 giugno). Regnante ut supra.

Nos Nicolaus de Figaçollo, Antonius de Martinusio et Simon de Pechiaro, iudices curiarum consulum et maris ciuitatis Jadre, uisa, audita et